
Ostrorog Joannes Comes

Ostrorog Joannis Comitis: Oratio recitata, cum, discessurus Argentina, publice Academiae caeterisque Ordinibus valedicerat 9 Martii a. 1581.



Oratio ILLVSTRIS & GENEROSI DOMINI, DOMINI IOANNIS:

Comitis ab Ostrorog: in Krilow, Grodzisko, & Miedzichod, heredis: recitata, cum discessurus Argentina, publicè Academiæ, cæterisq; ordinibus valediceret: 9 Martij: Anno 1581.

IOANNIS LVDOVICI HAVVENREVTERI: Decani Academiæ Argentoratensis, responsio, ad eandem.

Ioannis Sturmij: & Melchioris Iunij, Epistolæ de eadem re, ad eundem.

Testimonium datum Ioanni Ionæ: á Ioanne Sturmio.

His additæ sunt

Rogeri Aschami, & Ioannis Sturmij Epistolæ duæ: de Nobilitate Anglicana.

Item,

Pauli IV. Pontificis Max. ad Ioannem Gropperum, Cardinalem designatum, epistola.




ARGENTORATI.
Excudebat Nicolaus Vvyriot:
M. D. LXXXI.

ILLVSTRIS ET GENEROSI DOMINI, DOMINI IOANNIS, COMITIS *Ostrorogani Oratio.*

QVod hactenus metui magnopere, Auditores ornatissimi, ne dicendi hunc locum amplissimum sæpius conscendenti mihi vitium aut ambitionis, aut temeritatis meritò attribui posset: id ipsum magis hodierno die vt reformidem, necesse me habere intelligo.

Etenim si priores orationes, vel à me ipso habitas: vel alijs hac in celebri schola recitandas quas dedi, considero: meliorem illarum multò, quàm huius præsentis conditionem fuisse video.

Erant illæ vel à præstantissimo illo oratorum principe Cicerone conscriptæ: vel à me ipso qualicunq; temporis spatio, pro virili contextæ. Ad hāc autem conficiendam, vt cæteras nunc mittam difficultates: temporis certè vix satis, aut omninò non habui.

Et sanè cum hac ipsa de caussa, tum multis alijs, grauibúsq; supersedendum mihi hoc dicendi labore putaui. Nam nouitas ipsa rei me vehementer ter-

rebat, metuebámq; maximopere, ne quod primus id in tam celebri schola incipiam, vitio daretur mihi.

Sed parte ex contraria non minus graues, ad eum ipsum suscipiendum atq; sustinendum me impellunt.

Vt enim alia nunc silentio præteream: vel ipsa Gratitudo, aurea illa virtus, hoc vt in me susciperem onus, hortata est: quam, vt studiosè colere cupio: ita eam quodammodo violari existimauissem: nisi hoc dicendi, vel valedicendi potius à me susceptum munus fuisset.

Accedit & alia caussa, quod à me hoc vt facerem, inclytę huius Academiæ professores contenderunt: quorum ego nec voluntatem negligendam, nec parui iudicium faciendum esse arbitratus sum: licet vix triduum ad ingrediendum iter reliquum esset.

Vestræ igitur humanitatis erit Auditores: in eam partem oratiunculam hanc meam accipere: vt ad gratitudinem, quantulam tandem cunq; declarandam: nõ vel ingenij, vel eloquentiæ ostentationẽ institutam eam esse existimetis: Et ita audire, vt æqui atq; beneuoli homines: propter tum temporis angustias: tum occupationes non paruas, minimè elaboratam audiri orationem solent: Nec tam facultatem, quàm voluntatem, conatúmq; dicentis spectare: qui in difficilibus quoq; atq; arduis rebus, laudem suam, & approbationem bonorum habet.

Ne

Ne autem in me ipso, orationisq; meę excusanda tenuitate verser diutius: ad rem ipsam progrediar: Et primum gratias vobis agam, quàm potero maximas, pro vestris in me officijs, magnísq; beneficijs. Deinde tam inclytæ huic Academiæ, quàm vobis Auditores optimi (cum ita fata velint) valedicam.

Vtrumq; enim hoc faciendum mihi esse video: cùm magna vestra in me extent beneficia, & ita quidem magna: vt non dico oratiuncula hac extemporanea: sed ne quidem perfecta dicendi ui, elaboratáque industria comprehendi queant.

Nam vt (bona reliquorum ordinum venia) de eorum nunc officijs dicam, quorum opera præcipuè hac in Academia sum vsus: Quę obsecro tanta est Auditores, ingenij vbertas, quæ IOANNIS STVRMII, viri clarissimi in me promerita, non dico: ornare oratione, sed enumerare aut consequi possit.

At ne quis me auribus dare quid magis, quàm perorare dicat: breuiter tantum ea, quæ mihi in mẽtem venient, de eius erga me studio adferam.

Veni Argentinam ante biennium: veni notus paucis: Sturmio ignotus planè. At verò in conspectum senis optimi, vt veni: tanta me humanitate, tanta excepit beneuolentia: quanta parentes liberos, diu desideratos, complecti reduces, & excipere solent.

Iam verò transacti hic temporis spatium dum

considero: in tanto me apud illum ære esse animaduerto, vt exolui à me, dum viuam, non posit.

Nihil ego iam de fructu eo, quem ex prælectionibus eius non exiguum percepi, dico: Silentio Rhetoricos profectus, exiguos pro tenuitate ingenij mei, magnos Sturmij opera, prætereo: Dialectica exercitia omitto, in quibus multò plus: Si per occupationes, & aduersam valetudinem licuisset, præstitisset: Vel hoc vnicum, quo me loco habere, quanti me facere Auditores putatis: quod tanti viri, cui pares per quam paucos, vt opinor, Germania produxit, vti in instituendis studijs, consilijs: frui amicitia, consuetudine, colloquijs suauisimis priuatim contigit: Quæ quò gratior mihi hactenus fuit: eò est, eritque constantior.

Sed tu mihi quoque Domine Doctor Oberte Giphani, sicco quod aiunt, pede, es prætereundus minimè: qui Rectoris Magnifici vestigijs insistens: non humanitate modò me complexus es tua: sed & in Iuris studio ita me iuuisti, vt pares meritis tuis gratias agere non posim.

Quid ego iam de tua Clarisime Doctor Beuthere, erga me beneuolentia dicam? Quid de ea opera, quam in historijs tradendis atque explicandis benè multam consumsisti? quid inquam?

Nihil sanè. neque enim par tuis laboribus atque beneficijs haberi oratio potest.

At non minus humeris meis incumbere onus video: cum de tuis M. Iuni promeritis dicere conor, qui non publicis modò officijs: sed priuatis quoque beneficijs: ita me obligatum, obstrictúmque tenes, vt quibus verbis commodè satis gratias tibi agam, non reperiam.

Pari quoque ratione, cæteris Academiæ huius Professoribus atque præceptoribus, deuinctum me esse agnosco: quorum humanitatem, beneuolentiam, studia, quibus me, meosque complexi sunt: vix Latiæ illud lumen atque columen Cicero, pro dignitate recensere posset.

Alexandrum Magnum, magnum illum, inquam orbis Rectorem, magnis ab Aristotele affectum beneficijs: ita erga præceptorem suum gratum fuisse legimus, vt perpetuam illi dum viueret, obseruantiam præstaret: at multò me plus vobis debere agnosco.

Etenim erat Alexander philosophicis, Ethnicum quiddam spirantibus præceptis (quæ partim de mundo falsò: partim de Deo peruersè, alijsque rebus corruptè tradebantur) imbutus: ego illis informatus sum: quæ, vt philosophiæ consentanea: ita veritati aduersa sunt minimè.

Erat ille cum Aristotele, vel vicinitate (quæ licet parum prodesse videtur, incitat tamen plurimum) quodammodo coniunctus: ego non sum vobis.

Erat denique Alexandri (vt pote Regis ac Domini sui) instituendi occasio, adeoque necessitas summa: à vobis autem in me quicquid profectum est: illud omne ex sola prouenisse humanitate vestra constat.

Iam verò, quoiam in beneficijs magnum habere pondus, collatoris dignitas atque præstantia solet: tāto maiora vestra beneficia iudico: quantò maiores vos, hæc qui contulistis

Accepi ergo beneficium magnum à STVRMIO: accepi ab alijs viris non minus eruditione, quàm virtute præstantibus. Quis STVRMIVS? si quæras: est sanè vir talis, in quo non eruditionis præstantiam, Europę notissimam: non virtutis amorem: non in Ecclesiam Dei, declaratū studium: aut aliud quid horum meritò desiderare posis.

Hunc vnum virum Gallia suspicit: hunc miratur Italia: hunc colit Anglia: hunc Scotia diligit: hunc Dania reueretur: hunc Vngaria obseruat: hunc Boëmia veneratur: hunc inquam tot inclyta regna: hunc denique Europa ferè tota sibi amandum deposcit.

Quære, si placet, exterarum nationum Studiosos Iuuenes, cuius gratia, molestiam (de qua aliàs ne cogitassent quidem, longi itineris susceperint? dicent STVRMII.

Interroga Vngaros: Gallos, Danos, Polonos, Boëmos, aut alios quos voles: cuius huc sese contulerint gratia? STVRMII, STVRMII inquam respondebunt omnes.

O te beatum STVRMI, qui vt Socrates (multis licet Sophistis ægrè id ferentibus) Apollinis oraculo: ita tu tot Regnorum (vt Ducatus, Respublicas, Ciuitates nunc omittam) iudicio, vir optimus sis iudicatus.

O me felicem, qui in conspectum tuum venerim: feliciorem, qui Cygneam tuā (sed vtinam nondum Cygneam) vocem audiuerim.

O beneficium magnū à te STVRMI in me profectū: quod tanto prestantius iudicandum est meritò: quanto maior tu, qui dedisti, haberis.

Et quidem de singulorum mihi, dicendi si foret beneuolentia: non hæc dico horula: sed totus me citius, quàm oratio, dies deficeret.

Quare vos tempori illud, non ingratitudini ascripturos meæ existimo: si de singulorum vestrûm (quos æquè amo, diligo, colo, suspicio) beneficijs hic non sum dicturus.

Vt igitur ex Schola in curiam transeamus: & de amplissimi Senatus, erga omnes studiosos, quorum & ego vnum me profiteor, beneuolentia dicamus: singularis ea omninò est, & admirabilis: & quæ Periclis, aut Demosthenis, aut Ciceronis, non adolescentis, & quidem dicendi non vsque adeo periti orationem desiderat.

Magnum est, Auditores, quod Scholam hanc inclytam, cura magna: sumtibus non paruis: consilio

sapientissimo constituit: At illud profecto maius est longéque præstantius, quod Musarum hoc domicilium, non vacuum: sed egregijs Ornatum in habitatoribus esse voluit: tum etiam Professores doctissimos conquisiuit: & tenuioris fortunæ adolescentulorum plurimorum studia, stipendijs honestis, & subleuauit hactenus, & adhuc hodié subleuat. Cumque non incæpisse sit satis: sed constantia maximè eos, qui ad Reipublicæ sedent gubernacula, deceat: maximum profectò illud iudicandum est: quod in hisce, quos partim docendi, partim discendi huic addictos esse Academiæ videt, fouendis, tutandis, defendẽdis, tantam adhibeat curã, quanta (vt de longè diuque præteritis nihil dicamus) vel proximo semestri, turbarum & contentionum pleno apparuit. Diuinum opus, si semper idem fecerit: profectò facturus.

Sed hæc publica: & cum alijs multis mihi communia sunt. Accedamus ad priuata amicitiæ & necessitudinis cũ Schola hac vincula: quibus si publica non essent, arctissimè teneremur.

Etenim cum schola ex Scholarchis docentibus: & discentibus constare videatur: horum ego priuatim deuinctum multis, obstrictumque me esse intelligo.

Est mihi cum viro Nobili, Ioanni Philippo Kettenheimio Prætore Scholarcha, & Cancellario Academiæ huius, magna necessitudo. Intercedit non

minor mihi, cum singularis prudentiæ D. Carolo Lorchero, Consulari viro et Scholarcha altero amicitia. Est cum plurimis Professoribus, Præceptoribus meis colendis, suauis & iucunda consuetudo. Est cum multis vestrûm Auditores Illustres & Nobilissimi, fuitque hactenus, grata conuersatio ac familiaritas. Et, vt breuiter faciam: sum sanè vobis obstrictus omnibus.

Quapropter cùm & publicis vestris beneficijs, & priuatis officijs, ita me vobis obstrinxeritis: vt nisi ingratitudinis summæ mihi ipsi inurere maculam vellem: hoc quicquid est officij intermittere non possem: gratias, quas referre iam me vobis non posse video: ago quàm maximas: habebo perpetuò: relaturus cum primum sese aliqua obtulerit occasio.

Et primum quidem vobis viri clarissimi, doctissimique Præceptores: quod me huc veluti ad mercaturam bonarum artium profectum, multisque tempestatibus, scopulis, procellis, alijsque incommodis vexatum: ad vestrum tranquillum appellere portum siuistis: inque illo ipso, non modò colligendi vires potestatem fecistis: verum etiam tantum vestrarum mercium auferre permisistis, quantum quidem mea lacera, fluctibusque concussa, capere nauicula posset. Quæ licet propter nauigij mei exilitatem, paucæ esse videantur: propter vestram tamen hu-

manitatem, multarum eas loco habeo: eoq́ maiores iudico, quod eas sine pretio: imò sine promerito vllo, mihi concessistis.

At iam non minores Inclytę vrbis huius Senatui amplissimo, & prudentissimo, cùm meo, tum aliorum omnium, qui hunc sese in portum recipiunt nomine (quanquam id officij mihi non arrogo) gratias ago: quod eum non ædificarit modò: ornarit: portitoribus optimis instruxerit: verum etiam à procellis & tempestatibus tutum reddiderit: & adhuc tutum reddat & conseruet. Operam quoq́ daturus sum sedulo: vt quoad lucis huius concessa mihi vsura fuerit: Reipublicæ huius in me, meosq́ humanitatem, beneuolentiam, studia, officia: grata memoria colam, laudem, celebrem.

Iam verò & vobis Auditores Illustrissimi, Nobilissimi, atq́ adolescentes doctissimi, maximas ago, habeoq́ gratias, quod mihi ea beneficia, quæ expectari aut optari potuerunt, cuncta præstitistis: & nihil tale de vobis meritò præstitistis: Neq́ modò ago vobis gratias: sed & in id incumbam sedulò: vt etiam re ipsa vobis: siue in Polonia patria mea: siue alibi, omnia beneuolentiæ, amoris, gratitudinis officia præstem.

Quod reliquum nunc esse videtur: me, meosq́ vobis Auditores optimi, commendo: omnes etiam, tam inclytæ huius Reipublicæ Senatores, viros amplisi-

plisi-

plisimos, quàm doctisimos Academię vestræ professores: vosq́ studiosos Adolescentes, nobilissimos ac humanissimos, rogo: vt si qua in re (cum hominum sit labi) vel dicto, vel facto aliquem vestrũ offenderim, mihi ignoscatis.

Ego vicissim operam dabo, ne bis in eundem, quod dicitur, lapidem impingam: Deum deniq́ optimum maximum supplex, & oro, & orabo, vt Scholam hanc in eo, quo nunc est statu, diu conseruare: eámq́ (eiusdem ad florem, ornamentum atq́ incrementũ facere plurimum quod videtur) MVLTIS ORNARE STVRMIIS DIGNETVR.

DIXI.

IOANNIS LVDOVICI HAVVENREVTERI RESPONSIO.

Optarim equidem cum cæteris Academiæ huius professoribus, Illustris & Generose Domine Comes Ioannes Ostrorogie, Magnificum nostrum Dominũ Rectorem adesse: qui ornata oratione & maiore cum autoritate ad eleganter à te dicta respondere posset. Prædicanda enim & celebranda nobis est meritò grati animi tui virtus: qua non modo Alexandrum illum magnum tibi place-

re declaras: quē Præceptori suo Aristoteli gratias satis magnas referre non posse dixisse legimus: verum etiam ab eo quod Magnificæ tuæ familiæ quasi innatum est non recedis. Gratos enim semper vestra generosa stirpe natos erga præceptores suos fuisse scimus: quod pluribus exemplis comprobare necesse non est: cum in nobis vicina Basiliensi Academia Sebastiani Castalionis viri multarum linguarum peritissimi monumentum extet: cuius ædificationem eiusdem tecum nominis Ioannes comes ab Ostrorog sua liberalitate adiuuit. Cum igitur ex Ciceronis sententia turpe sit & nihil minus hominis videatur, quam non respondere in amore ijs, á quibus prouocere: quia propter Domini Rectoris absentiam melius fieri nequit: nudo & breui sermone ad amplam & eruditam tuam orationem totius nostræ Academiæ nomine me respondere officij cogit ratio. Id dum facio pro clementi tua humanitate benignas mihi aures dare digneris etiam atq; etiam oro.

Imprimis gratias quas possumus maximas tibi agimus & habemus: quod Magnifici nostri Domini Rectoris IOANNIS STVRMII, quem honoris causa vt communem nostrum Præceptorem nomino, fama et eruditione adductus: magnitudinis sumptuum ratione non habita ad nostram Academiā peruenire grauatus non es, in qua constituēda et in certum ac studys maximè accommodatum ordinem redigenda nullis laboribus & molestijs D. Sturmius pepercit aut se deterreri passus est: verum in ea seipsū exprimeret: et tanquam parens in liberis perpetuò viueret curauit. Hāc do-

docendi rationem omnes Professores sartam tectam conseruare cupiunt: vt Sturmij nomine & memoria excitati ex multis diuersis nationibus quam plurimi semper ad nos adueniant. Gratulamur deinde nobis in nostra te hac Academia nos vidisse. Nihil enim iam de grauitate morum, de ingenij acumine, de diligentia & industria in studijs, quæ in te admirati sumus, dicam: illud taciti præterire non possumus: & perpetuum nobis erit exemplum, quo alios cohortari nobis licebit: quod in exercitationibus Rhetoricis, de quibus á multis retro seculis nemo D. Sturmio melius docuit, non modo frequens auditor interfuisti: verum ipse etiam sæpius perorasti. Si nanq; Pompeius Magnus laudatur: quod orientis victor liberalium artium Professores Rhodi audiuit: et fasces Philosophorum ianuæ summisit: non minus in te commendandum est: qui in potentissimi regni consilijs non ita multò post sedebis & res præclaras geres: quod tum bonarum artium auditor diligentissimus fueris: tum quid ex auditis didiceris & ornatè dicendo & acutè disputando multum ac frequenter patefeceris. Gaudemus deniq; Professorum huius gymnasii: quos ex tuorum consilio & pro vitæ tuæ instituti ratione præcipuè audiendos delegisti acceptam fuisse operam. Non etiam cæterorum tibi fratriq; tuo Illustri D. Nicolao inseruiendi voluntas defuit: licet re ipsa quod in votis habuerunt præstare facultas data non fuerit. Offerunt tamen vniuersi tam quibus vsi estis antecessoribus, quam horum Collegæ: non modo vobis absentibus, verum etiam si quos vestrorum ad nos miseritis summissa sua

&

& beneuola officia. Quoniam etiam præstita tibi apud nos beneficia commemorasti: ea talia sunt: vt pro beneuolo quo accepisti animo gratias agere quidem debeamus: at veniam petere necesse habeamus: in meliorem multa quæ omissa sunt partem interpretari velis. Nam Senatus hospitium præbuit non tibi modo ac tuis: sed hoc pro sua erga omnes studiorũ causa huc venientes benignitate: & præsertim in eos qui studia sibi curæ cordiq; esse patiuntur amore cæteris etiã concedit: et autoritate sua eos tuetur. Familiaritatẽ præclaro genere natorum Comitum, Baronũ et nobilium, quam gratam tibi fuisse & iucundã ostendis, temporis dedit occasio. Reliquos qui studijs tuis adfuerunt muneris sui adduxerunt partes: & erga cunctos vt magnum tuum animum declarares ita te gessisti: vt nemo beneficiũ se dedisse arbitrari potuerit, cum ipse magnum aliquod acceperit. Quæ cum ita se habeat: DEO OPT. MAX. *gratias magnas agimus: qui præstanti te indole ornauit: et eam excoleres dedit: eumq; rogamus misericordia sua porrò tibi adesse: studia tua gubernare: & feliciter domum reducere velit: vbi & Illustri tuæ familiæ præcipuo ornamento: Reipublicæ maximo vsui: Subditis tuis solatio, & plurimis adiumento esse possis.*

DIXI.

IO. STVRMII

Rectoris Academiæ Argentinensis

Epistola

AD ILLVSTREM ET GENEROSVM Dominum D. IOANNEM COMITEM OSTROROGANVM, ornamentum, dum nobiscum fuit, Academiæ Argentinensis.

Estne istud benè agier, Ostrorogane Comes: nullum mihi locum concedere: officij defendendi? Multorum seculorum Ethnicum Prouerbium est: Inter bonos benè agier. Est istud benè agere: omni genere humanitatis me superare? Excusas subitum discessum tuum: & quod ad me non deflexeris. Cur ego ad te non veni? Tu dispendiũ fecisses sex milliariorum: ego ad te absq; dispẽdio venire poterã. An non satis salutasti me in illo liberali & magnifico cõuiuio tuo: tuo nolato poculo: quo omnes conuiuæ tui: mihi absenti in Prædiolo meo: ordine salutem propinarunt: & valetudinem bonam sunt precati? Excusaui ego quidem absentiam meam: & causam Epistola perbreui indicaui: sed quantulum istud est: si cum istis epulis tuis: & hac bona & conuiuiali precatione componatur? Etiam istam excusationem honorificam tibi duxisti esse: atq; ita: vt gra-

tia mihi agenda sit: nisi ingratus videri velim: propter voces, & sermones, & testimonia Conuiuarum: qui istius Prandij liberalitatem & summam tuam erga me beneuolentiam: & studium tuum erga me perhonorificum: sæpe mihi & propè quotidianis sermonibus commemorant.

Quid de Oratione tua dicam: quam, opinor, triduo antè habuisti: quàm Argentina discederes? quã præclara: quam singularis: de me in illa facta mentio? quale testimonium: & qualis hominis? Metuo ne non inuidiam queam hominum effugere? Est istud benè agier? agiturne hoc modo benè? Si taceo: ingratus videbor: aut ipsum silentium videbitur esse superbiæ indicium. Si respondeam: quid respondebo ad exclamationem illam tuam? *O me felicem, qui in conspectum tuum venerim, &c.*

Quomodo fateri queam istud verum esse? Si enim fatear: si placebit: quid me vanius aut ineptius? Si negem: verecundum fortassis: Sed vide vt rationem reddas officij. Ego non video vt queas: nisi te excuset: amor tuus erga me: & pietas: si à me putas accepisse aliquid: quod & in posterum profuturum sit seculum: & in hac vita tua vtile: cum tibi: tum communi Reipublicæ Christianæ.

Et ad hanc orationem addis epistolam: quam heri mihi reddidit Lobartus noster: in qua idem affirmas: quod in epulis amicorum. Prætereo quæ mihi Bley-

Bleydnerus: præceptor Marquardorum: narrauit: de tua singulari & incredibili erga me benignitate. Non audeo petere: vt eam perpetuã conserues: gratissima tamen mihi est ista significatio: ab animo benigno profecta. Nitor ista: in hisce molestijs meis. vox viri: vox Dei est: & magna consolatio est in ærumnis. in quibus incredibile est: quàm mihi gaudeam: quoties animaduerto: esse aliquos: qui iudicent benè: & qui moueantur caritate.

Sed redeo ad orationem tuam Comes Ostrorogane. vix mihi persuasit Lobartus noster: tuo Marte: vt aiunt: fuisse confectam: persuasit tamen: cùm quia scio: quantos progressus feceris: isto quo nobiscum fuisti tempore: tum quia animaduerti: in sermonibus tuis: te aliquando ita loqui: vt me sic scripsisse: vt tu loqueris: non pœniteret.

In re hominum opinione non magna: accõmodatæ sententiæ sunt in hac oratione tua ad grauitatem. & distinctæ hæ proprietate quadam verborum: vt in ipso acumine appareat aliqua copia: aptata ad tui stili & nostræ scholæ consuetudinẽ. & placet mihi τὸ ἦθος in hac: modestiæ: humanitatis: & animus vbique gratus: & mores probati. Non dubito: si: vt cœpisti, perges: habitura breui Polonia est: in ordine nobilitatis: qui cum Bembis & Sadoletis queant contendere.

Perge igitur vt cœpisti: vt cum hæreditatem adi-

turus es: & cum absq; tutore & curatore res tuas administrabis: ea assequaris: in hoc cursu tuorum Studioru: quæ ego cu multis alijs de te expectamus.

Iucundum mihi est: cogitanti de fratre Nicolao: suauissimo & elegantissimo Comite: quod illum apud te esse mauis: quàm te absq; illo viuere. Hac enim ratione & te exemplum semper domesticum habiturus est: et minus mutatio locorum vtriq; vestrum molesta erit: & quocunq; venietis: domi viuere vobis videbimini: cùm etiam neque Oeconomus Miliewianus grauissimus vir, neq; Ioannes Ionas literatus homo: à vobis discedant quorum vtriusq; fides, & cura, & studium, & labor: erga vtrumq; vestrum: perpetuam memoriam & beneuolentiam & clementiam meretur: vt meritò illorum salus, & incolumitas, & existimatio atq; tranquillitas: contra iniquos aut inuidos: vobis curæ esse debeat.

Ego certè tanti facio horum necessitudinem: vt etiam statuam: Serenissimo Regi Poloniæ: hos gratos & commmendatos esse debere: propter doctrinam & virtutes tuas: in quibus excolendis tuæ adfuerunt industriæ. Tribuunt enim huic Regi vestro: boni viri & homines eleganter eruditi: doctrinam: memoriam temporum: vsum in Repub. gerenda: fortitudinem in prælijs: Scientiam in re militari, vt, qui Regium nomen & Maiestatem: raro & singulari exemplo in Europa tota: cùm in constituenda Repub.

pub.

pub. in Poloniæ omnibus Prouincijs: tùm in hoc Moscouitico bello administrando: tueatur. At qui hisce laudibus atq; virtutibus ornatus est: non dubium est: quin eidem tuus reditus in patriam: futurus sit iucundissimus: propter ornamenta ingenij & naturæ tuæ: & illorum salus & vitæ commoditas curæ: qui studijs tuis præfecti fuerunt: & curam tui gesserunt: & inter tuos Comites: in Germania & Gallia & Italia fuerint præcipui. Vale mi Ostrorogane Comes: ornamentum Academiæ nostræ. O & præsidium & dulce decus meum. Northemij, in meo Sturmiano. 18 Maij Anno 1581.

ILLVSTRI AC GENEROSO DOMINO IOANNI COMITI AB OSTROROG *&c. Domino suo Clementissimo,* MELCHIOR IVNIVS S. P. D.

HOc quidem verè est, Illustris ac Generose Comes IOANNES, Domine Clementissime, beneficio beneficiu cumulare: & multis ante magnisq; nominibus obligatu, deuinctum magis obstrictumq; reddere. Præsens præsenti clemetiæ signa dedisti & plurima & maxima: nunc absens absentis no modò (quod petere fortalsis vnicu poteram) memo-

riam non abijcis: verum etiam literis missis gratã iucundamq; Tibi esse ostendis. Equidem cum & virtuti amor: & generis splendori cultus atq; honor debeatur: etiam ante quàm nostram venires in Scholam. cùm virtutum Tuarum: tum Ostroroganæ familiæ laudibus adductus, Te obseruare atq; diligerecœpi. Postea verò quàm biennium integrum nobiscum vixisti, ita Tui sum studio inflammatus: vt nihil ad obseruantiam amoremq; in Te meum addi posse videretur. Accesserunt tamen velut in cumulum literæ perquam clementer ad me perscriptæ: vt nunc demum quanto Tuo sim in ære & quàm difficulter, vel potius omnino non exoluere eo me possim intelligam. Non soleo ego quicquam aliorum auribus dare: nec si vellem: pace hoc tua bonaq; venia mihi facere liceret: qui, quod erecti est excelsiq; ingenij proprium, Esse quam Videri bonus malis. Vnum illud Tibi gratulor: & quod ea quæ magna, ampla, illustriaq; esse nosti, summo studio sequeris: & verò ita præclarè cùm ab animi, tum fortunæ bonis, paratus es & instructus: vt hæc eadem consequi facilè posis: imò non parua ex parte iam consecutus esse videaris. Sunt Tibi Generose Comes Ioannes ad eruditionem parandam instrumenta cũprimis necessaria, largè à Deo opt. max. tributa & concessa: Ingenium, & Memoria. Nominis splendorem atq; claritatem, maiorũ res præclarè, fortiter, laudabiliterq; gestæ pepererunt. Morũ suauitatem, elegantiam: & illam nobilitatis propriam in omnes, maximè verò doctos atq; literatos homines humanitatem domestica attulit educatio atq; institutio, adhibita cùm ab alijs, tùm verò maximè moderatore Tuo D. Iacobo Mielevvio viro nobilissimo: cuius grauitas, fides, cura, solicitudo, cognita nobis hactenus omnibus perspectaq; fuit. Scientia te & doctrina præceptores auxerunt: inter quos partes haud postremas D. Ioannes Ionas obtinet: vir sanè literatissimus, diligentissimus, doctissimus, omniumq; bonorum virorum amore atq; beneuolentia dignissimus. Quid ego nunc de Eloquentiæ studio dicam: in quo quantos feceris progressus, norunt ij qui aliquoties Te nostra in Schola declamantem, summa non solum cum approbatione, verum etiam admiratione audiuerunt. Solent hæc plena, quod aiunt, collaudari manu à prudentibus, præferriq; longè opibus ceterisq; rebus quę extrinsecus petuntur: minus etiam prosunt ijs: qui non sibi tantum: verum etiam alijs sese natos esse statuunt: & ad Reipub. aliquando sedere gubernacula laudabiliter cupiunt. Habuit Generose Comes Ioannes semper Polonia fortitudinis, reiq; militaris peritiæ laudem: & magnum sanè est quod affirmatur, cum Equitatus ex solis constet Nobilibus, centum & quadraginta equitum millia, si sit opus, in aciem educere.

cere regem posse: & crebræ illæ præclaræq; ab hoste potentissimo reportatæ victoriæ illud ipsum confirmare videntur. Sed & eadem iam in certamen cũ alijs descendere nationibus: & de eruditionis atq; doctrinæ contendere gloria cæpit. Aliquot etiam iam annis ad nostram Academiam Generosos bene multos nobilesq; adolescentes misit, quibus si lucis huius vsura contigerit diuturnior: næ illa habebit semper regni sui & præsidia & ornamenta plurima: suoq; exemplo confirmabit verum esse, id quod dictum à Platone est: Beatas illas res esse publicas: quæ doctis rectoribus atq; gubernatoribus vtantur.

Inter hos ergo Generose Comes IOANNES principem locum cum obtinere videaris: meritò & Familiæ tuæ Illustrissimæ: & Inclyto Poloniæ regno gratulor: mihi gaudeo: DEVM etiam OPT. MAX. rogo: vt quàm vna cum fratre Tuo D. NCOLAO comite suauissimo, eruditionis & virtutis parandæ gratia peregrinationem suscepisti, ipse fortunet: eorum deniq; donorum, quibus vos cumulauit fructum & vtilem patriæ: & iucundum propinquis, cognatis, amicis: inprimis verò matri matronę lectissimæ: vobis autem diuturnum esse velit. Bene vale Comes generose, & quod facis me Tui familiæq; Tuæ Illustrissimæ, obseruantiss. cōmendatum habe: propediem etiam instituendorum locorum communium, quam petis, rationem à me expecta. Argentinæ XVII Cal. Iulij Anno 1581.

TESTIMONIVM
Datum
IOANNI IONAE MORAVO.

IOanni Ionæ Morauo testimonium scripsi: anno Septuagesimo quinto: quo tempore præfuit aliquot nobilibus Polonis adolescentibus: in quartum vsq; annum: Erat verò Testimonium: virtutis: diligentiæ: fidelitatis: & in eo illum optimum virum: diligentissimum præceptorem: & hominem fidelissimum in educandis nobilissimarum familiarum adolescentibus: nominaui. Hoc ego illi testimonium rursus eadem hac manu mea confirmo: atq; istud etiam quod hic subijcio: additum volo.

Reuersus est ad nos Ioannes Ionas Morauus: Anno Septuagesimo nono: cum duobus Comitibus D. Ioanne & D. Nicolao Ostroroganis: Polonis proceribus: D. Stanislai illustris memoriæ &c. Filijs: & cum Oeconomico moderatore: grauissimo viro: D. Iacobo Miliewio: qui ab eo tempore vsq; ad annum Octuagesimum primum: & duodecimum Martij in Academia nostra continenter vixerunt: præclara domestica disciplina: quæ exemplo esse potest: posteris nostris: diligentiæ: assiduitatis: temperantiæ: modestiæ: tanto consensu & tanta concordia præfecti Miliewij & præceptoris Ioannis Ionæ Moraui: vt alter alteri non cesserit, amabili beneuolentia: & decente reuerentia, cum suapte in-

ter se virtute: tum studio communi: in officijs colendis: ad ornandos & erudiendos mores atq; ingenia excolenda duorum discipulorum & quasi pupillorum suorum: ita: vt plus quàm tutorum: & parem parentum visi sint vicem gerere.

Illud verò in hac disciplina eximium est: quòd ita officia vtrinq; responderunt: vt non facilè sit dijudicare: an Comites suapte natura: an præfectorum moderatione: fecerint ea omnia: quæ nobis omnibus probantur.

Atq; illud etiam proprium huius disciplinæ est: quod vterque præfectus: domi nihil instituerit: quod ad disciplinam studiorum: & ad consuetudinem nostræ Reipub. pertinet: absq; Consilio nostro: quos Senatus Academiæ nostræ præposuit.

Istud testimonium visum mihi est: cum D. Ioannis Comitis Ostrorogani Oratiuncula diuulgare: vt exemplum sit: qui posthac ad Academiam nostram mittentur: cùm ipsis discipulis: tùm etiam illis: quos parentes suis liberis apud exteras gentes præficient. Datum Northemij in prædio meo. 18. Maij. Anno 1581.

ROGERVS

ROGERVS ASCHAMVS CANTABRIGIENSIS Ioanni Sturmio, S. P. D.



NEc ars ad vsum vitæ, nec scientia ad cultum ingenij, meo quidem iudicio, Sturmi, vlla inuenta est, quæ cum illius facultatis præstantia comparari potest, cuius præsidio efficitur, vt ratio ad prudenter intelligendum, sermo ad disertè loquendum instituatur, & reliqua hominis vita ab immani feraq; consuetudine longissimè abesse, et ad diuinam naturam proximè accedere videatur.

Hinc incredibilis ille sensus amoris, quo omnes ferè docti etiam nunc prosequuntur externas illas Athenas, ex qua vna vrbe, vna ætate, vt scis, plures dicendi intelligendiq; & principes & præceptores exorti sunt, quàm ex omni & locorum & temporũ vniuersitate ad hominum memoriam vsq; peruenerunt.

Roma vero olim imperij domicilium, virtutis cumulo vel ipsis Athenis longè superior eloquentię laude par, aut non multum inferior: quanquã nunc præsentibus moribus, Papistico luxu & imperioso Antichristianismo, se bonorum odio subiecerit, cæteris tamen eloquentiæ nomine & Ciceronis ingenio, sic omni posteritati commendata est, vt quam

diu latinarum literarum vel fructu adiuti, vel laude illustrati vlli homines sunt, tam diu vrbis Romæ memoria, cum summa Charitate & beneuolentia vsurpata duratura sit.

Neq; antegressæ solum memoriæ erudita secula, sed præsentis etiam ætatis præclara ingenia plurimum admiramur: potißimum verò eorum hominum, qui hac eloquentiæ laude floruerunt. Ipse enim multos excellentes viros ex Italia, Germania, Gallia vehementer diligo, quos nunquam vidi, propter insignem doctrinæ splendorem, quem in illis elucere perspicio.

At cùm tu STVRMI ex Platone, Aristotele, Cicerone eum salubrem eloquentiæ succum hausisti, quem in nullo alio nostræ ætatis, nec longè superioris quidem vnquam animaduerti, & illum etiam totum ad saniorem Christi doctrinam aggregasti, quo in loco te habeam, nisi de te ad te scriberem libenter, explicarem.

Quanquam si id facerem, cur adulationis notam vererer, non video: quæ res si mihi proposita fuisset (quod tu quodam in loco ad quendam scribis) alia via ad aliud genus hominis mihi affectanda esset.

Iudicium illud diuinum tuũ, quo singulos præfers singula legis, animaduertis, relegis, appendis, expolis, construis & ædificas, meum, si quod est iudicium, in eam admirationem rapit, vt quicquid hactenus scripsisti, sedulò conquisiuerim, auidè perlegerim: inciderim etiam in nonnulla manu scripta abs tuo ore excepta, in ea videlicet quæ doctißimè dictaueras in integrum Gorgiam Platonis.

Hunc librum Londini ante triennium nactus sum. Ad hunc modum cum suauitate præsentis cõsuetudinis tuæ frui non licuit, ope tamẽ ingenij tui, quantum potui semper, vti placuit.

Et me multos iam annos ardore amoris erga te mirificè incensum: ecce tibi quotidianus ferè sermo, quem de te mecum MARTINVS BVCERVS habet, sic nunc inflammat, vt nihil libentius facerem, quàm ad te scriberem: præsertim cùm intelligã & ex eo quod de te ipse scripsisti, te eum esse, qui humanitate & beneuolentia contentus sis: & ex sermone præterea Buceri te non magis esse Ciceronis excultum eloquentia, quàm ornatum humanitate, qui hominis nihil potius esse iudicat, quàm respondere in amore his, à quibus prouocere.

Sed vide audaciam meam, qui in amicitiæ ipso nostræ principio, beneuolentiæ meæ, non solum significationem ostendere volui, sed fructum remunerationem quandam repetere statui. statui enim rogare te, vt aliquid facias literarum nominis tui, & vtilitatis etiam meæ causa, nisi hoc hominis nimium sui amantis esse videretur.

Ego ad lectionem sacræ scripturæ, in qua potissimum tabernaculum & vitæ & studiorum collocare cùm Christi benignitate statui, Platonem, Aristotelem, Demosthenem, & M. Ciceronem residuo meo studio adiungere in animo habeo.

Nec tamen hoc studendi genere sic mihi vel præcisè placeo, vel ignauè contentus sum, vt medicorum & Iurisconsultorum libros, vel omninò contemnam, vel nunquam attingam.

Hæ enim artes & præclaram continent cognitionem, & ad omnem humanę vitæ vsum ac splendorem plurimum momenti habent.

Sed in tanta varietate rectissimorum Studiorum sequatur per me quisq; illud non scitè. Attylij enim poëtæ, vt ait Cicero durissimi: suam cuiq; Sponsam, mihi meam.

Aristoteles doctrina & iudicio cùm cæteros omnes tùm se ipse quoq; superat, mea quidem opinione, in his libris quibus dicendi rationem pulcherrima doctrina explicauit.

Diuinam rationis quidem, naturæ & morum disciplinam diuino ingenio recondit in reliquos libros: hic nihil non ferè ad popularem consuetudinem, & humanæ vitæ quotidianum vsum promit & exponit.

Et quò magis hos libros præ cæteris admiratus sum, tanto plus tribuo Danieli Barbaro, & P. Victo-

rio,

rio, qui in eis magna quidem cum diligentia elaborauerunt: scire enim dum, quanquam id percupidè aueo, non possum, quid sit illis Gregorij Nazianzeni græcis in hos libros commentarijs, quos Erasmus in festina lente, testatur se apud Aldū perlegisse: nam hos esse illud ὑπόμνημα ἀνώνυμον in Gallia impressum non credo.

Horum omnium & diligentiam libenter agnosco, & voluntatem vehementer probo: sed cum ex libris tuis, quos frequenter lectito, & ex multorum sermone quos sæpe conuenio clariss. perspicio te tāto ingenio & iudicio in his Rhetoricis libris versatū esse, vt quid vel illi prædicent, vel ipse sentiam non literis exponere, sed in opinione tua relinquere statuerim.

Et hoc est humanissime STVRMI, quod tantopere abs te contendam, vt summi artificis præstantissimam artem, excellenti artificio tuo explicatam in lucem proferas.

Nunc vero si esset in me vlla vel persuadendi facultas, vel cogendi vis, eam vniuersam ad te vrgendum, vt hoc perficeres, adhiberem.

Neq; ego solus, sed innumerabiles alij hoc abs te contendunt. Quorum postulata cum & literarum summa vtilitate, & nominis tui immensa laude implicita sunt, quantum humanitas tua illis tribuere debet, etiam atq; etiam considera.

Vt

Vt nouos haurias labores non requirimus, sed veteres vt fusissime ad vberem studiorum fructum dimanent, expetimus.

Vidimus enim & legimus, magnam partem illorum laborum, quos in Rhetoricis libris explicandis suscepisti, quibus tantum ardorem in nobis ad videnda reliqua excitasti, vt is nulla alia re nisi luce ingenij tui satiari posit.

Age igitur optime STVRMI, & perge rogatu vnius prodesse vniuersis.

Et quanquam durior esse vis, quod facile non credo, quàm vt oratu multorum bonorum commoueare: prudentior tamē es, quod certo quidē scio, quàm vt patiare vnius plagiarij scelere committi, vt vel istis Rhetoricis libris, vel Gorgiæ, vel politicis tuis, aut aliud aut aliter accidat, quàm nunc vereri velis, aut in posterum mederi queas. Quod ipsum in tanta turba excipientium dictata tua, facile alicuius vel stulti amici imperitia, vel sordidi typographi auaritia contingere potest.

Hanc iniuriam sæpe Erasmus, sæpe multi docti viri experti sunt, quæ si ad te solum perueniret, negligere eam non deberes: cùm verò ea omnium & literarum & tui quoq; studiosorum communis esset, diligentior quidem cautio adhibenda est.

Et hoc siue rectè monentis consilium, siue verè amantis studium, siue impensè rogantis institutum,

ea quæso mente qua ego scribo, accipias, & ea quoq; ratione qua maximè cupio, expleas,

His proximis superioribus annis Aristoteles è Gallia prodijt latina lingua loquens, vt omnes existimant, aliena mente nonnunquam sentiens, vt quidam iudicant.

Ioachimi Perionij in coniungendo Cicerone cum Aristotele & voluntatem multi probant, & ex vtroque infinita loca, siue in congerendo diligentiam, siue in compellendo vim plures in meliorem partem accipiunt, quàm illud nimis proiectum Cephę Clononij os, qui in exagitando vtroq; græcæ latinæq; doctrinæ & principe, & præceptore, vtriusq; beneficio & suo ingenio nimis insolenter abusus est.

Quanquam & ipse quoq; existimo præclaram Aristotelis doctrinam, & minus ornatam videri, & magis obscurā esse, quàm vt multorum in eo legendo posit, vel studia allicere voluptas, vel labores cōpensare vtilitas, quia vbiuis, ferè docetur sine accurata exemplorū appositione: qua in re & Latini plurimum, & Græci ipsi peccant explicatores.

Et tamen hoc vitio claudicare non debet dialecticorum schola, cùm in tota illa subtili disserendi ratione ab Aristotele tradita, nullum extet præceptum, cui in Socratis sermonibus Platonis & Xenophontis ingenio conscriptis non respondeat expressum exemplum.

Hoc tu STVRMI & prudenter animaduertis, & frequenter doces, potissimùm uerò in ea ratione interrogandi collocandiq́ Dialectica, quam Platonis Gorgiæ præfixisti: ad quem locum legendum quoties accedo (quod sæpissimè quidem facio) toties cũ noua quadam & utilitate laboris mei, & admiratione ingenij iudicijq́ tui semper abeo.

Sed ad hanc dicendi facultatem, quæ tota ad illustriorem usum comparata est, nihil magis requiro, quam ex Demosthenis, Ciceronis, Thucididis, Liuij, & horum simillimorũ Oratorum, Historicorumq́ libris, sic ubiuis exempla comportari, ut quicquid in uirtute splendoris & æquitatis, in scelere fœditatis & fraudis, in prudentia prouidæ opportunitatis, in fortuna insperatæ temeritatis, ex omni seculorũ memoria colligi obseruariq́ possit, id semper ad Rhetorica præcepta diligenti uel appositione exempli adiungatur, uel notatione loci referatur.

Et quanquam hic cuiusque literarum cupidi proprius labor esse debet, tamẽ cùm ad id præstantis ingenij animaduersio, delectus & iudiciũ adhibetur, noua profectò studiorum & suauitas ad uoluptatẽ, & fructus ad utilitatem, ex hac artis & imitationis coniunctione efflorescet.

Et huic meo, si tu ita uis, siue errori ex imperitia, siue torpori ex desidia, lubentius quidem indulgeo, quod plerunq́ uideo eos qui in solitarijs artiũ præceptis adhærescunt exangues, frigidos, ineptos, sine sensu, sine motu, sine usu esse: contrà uerò alios qui nulla præceptione instructi, sed historicorum sola & Oratorum lectione contenti fuerunt, in aliquo loco constitisse.

Neq́ hæc eò à me dicuntur, quod aut uagam linguæ iactationem, aut effluentẽ styli insolentiam ullo modo probem, sed quemadmodum in tradenda uera religione, exempla uitæ, cum præceptis doctrinæ coniungi debeant, sic quidem ad omnem artis cultũ, imitationis etiam usus adhibendus est, ut cursus studiorum, neq́ obscuritate inutiliter impeditus, neq́ erratione licenter abductus esse uideatur.

Præterea cùm dicendi facultas ψυχαγωγία sit, ut docet Socrates, & tota illa nobilis animæ doctrina hãc artem propinquissima cognatione attingat, plurimi plurimum & huic disciplinæ & nostræ ætati congratularentur, si Phædonem Platonis & libros Aristotelis περὶ ψυχῆς luce ingenij tui aliquando illustrares.

Et quia uideo me iampridem nimis inconsideratè abusum esse humanitate tua, & omnes uerecundiæ fines transijsse, libet profectò nunc ipsius Ciceronis consilio uti, & benè gnauiterq́ impudentẽ esse.

Ipse quoq́ Demosthenes multorum infœlices conatus hactenus rejciens, te admodum flagitat. Bis nunc Italia ad nos misit Aeschinem, & Demosthenẽ latinè dicentes, sed nec his oratoribus, nec ea regione, mea opinione satis digne,

Illi etiam Germani duo, quos semper admiror & unicè amo, in Demosthene multis non satis faciunt.

At uerò cùm illum primum circuitum, qui est in principio orationis contra Aeschinem, à te in libro de Amissa dicēdi ratione latinè uersum lego, & cùm diligenter animaduerto, quo tu appendis iudicio, quam nam in utraque lingua uel singula uerba uim, uel sententiæ formam habeant: quid putas me primùm doctissime STVRMI acclamare, ne ὦ πάντες καὶ πᾶσαι, quodnam hoc nouum veneris caput? an maximopere his literis quidē nunc meis, sed uotis iam diu literatorum publicis à te cōtendere, ut quod reliquum est in his duorum nobilissimorum Oratorū in cōtrarijs inter se orationibus perspicere ipse uelis.

Hoc labore & utriusque linguæ splendorem mirificè excitabis, & illius Ciceronianæ amissæ uersionis desiderium, meo quidem iudicio, multum mitigabis. Et huic uniuersæ postulationi meæ, audacter quidem scio susceptæ, ad res tamen spero & præclaras capiendas & iustas petendas institutæ, te multum tributurum facilè intelligo.

Postremò uidendum tibi est, ut expleas eam expectationem, quam omnibus literarum cupidis commouisti, de illis libris qui de ratione latinè loquendi atque scribendi à te scripti sunt.

Et hæc de te ac tuis, nūc pauca de nobis ac nostris. De Religionis cursu, Reipub. statu, literarum cultu

&

& fructu apud nos in Anglia satis loquacem tecum instituerem sermonem, si tantæ res in breues potuerint includi literas.

Sed quæ nunc unius epistolæ modo terminari non possunt, in multas literas, quas Deo uolente, tibi frequentes scripturus sum, reseruabo.

Ea uerò religionis cura apud Iosiam nostrum inprimis & Cantuariensem & uniuersum consilium regium excubat, ut in nulla re æquè elaboratum sit, quàm ut religionis cum doctrina tum disciplina, ex sacrarum literarum fonte purissimè hauriatur, & ut sentina illa Romana, qua tot humanæ sordes, in Ecclesiam Christi redundarunt, funditus obstruatur.

Populi cōsensus & obedientia ad hanc rem summa est. In studijs nostris Patrum consilia libenter sequimur, ubi ipsi non deflectunt, à sacra scriptura. Augustino plurimum tribuimus, cui, quod tu Græcos, Basilium & Chrisostomum anteponis, non tibi concederem, nisi te ualde amarem.

Bucerus, vir Dei, gloriam Christi strenuè apud nos excitat, cuius habet tantam & doctrina authoritatem & uita moderationē, ut ne ipsi quicquam aduersarij conqueri possint.

Aduersarij enim nonnulli adhuc apud nos sunt, qui cum à nobis nonnihil discrepent, hominū uires, uirtutes, & consensum extra modum & ordinem efferentes: tamen quia complures eorum sine stoma-

cho & aculeis hoc faciunt & plurimum se ipsi cùm eruditionis laude, tum probitate vitæ commendāt, non possumus non amore prosequi eos, omnia referentes ad illius prouidentiam, qui extrema etiam die nonnullos in vineam suam introducit.

Publica res in magna expectatione est. Quis euentus hanc pacem inter nos & Gallos, per obsides principum filios factam consequetur, ignoramus.

Illa quidem vox Ciceronis semper mihi suauis esse videbatur, Nomen pacis dulce est: & res ipsa salutaris: Bellum autem quid aliud est quàm sophoclea ἐριννὺς, πολύχειρ, πολύπους, χαλκόπους, religionis cursū, morum disciplinam, literarum otium, & omnes suauioris fælicitatis partes funditus euertens.

Gratulor etiam multum ipsi Galliæ, quam gentem vnicè semper amaui, quæ meo iudicio quidem in omni literarum & humanitatis laude nec ipsi cedit Italiæ. hanc pacem vtrique genti bonam faustam fœlicem, fortunatamque fore speramus, quoniam Comes Bedfordiensis, Pagettus & Ioannes Masonus nostræ partis principes legati, non solùm longum rerum vsum, multiplicemque eruditionem, verùm etiam Dei timorē ad hanc fundandam concordiam adferunt.

Linguæ & artes Cantabrigiæ ab his passim hauriuntur authoribus, qui cum dicendi tum intelligēdi Magistri optimi semper habiti sunt: vt nec ratio

pro-

propter infantiam nimium obmutescere, nec oratio propter inscitiam loquaciter insolescere discat.

Ad vtriusque linguę doctrinam perdiscēdā, vtriusque vrbis nō eadem quidē, sed vna ferè sola vtimur ętate.

In hanc studendi viam plurimi, Ioannis Checi & & Thomæ Smithi exemplis, perceptis, ingenijs, consilijs prouocati, ingressi sunt.

Hi duo, olim huius Academiæ nunc totius Reip. in ipso splendore aulico præclara lumina eminent.

Qui si ad scribendum sese dedidissent, nec in Sadoleto Italia, nec in Longolio Gallia iustius quàm in istis duobus Anglia gloriata fuisset.

Hoc perspicuum nobis est, vel ex illo libello, quē de recta Gręcè pronunciādi ratione qua nos Cantabrigię vtimur, cōtra Vvintoniensem conscripserūt.

Sunt quoque hic Cantabrigiæ multi præclari viri, inter quos tamen sic elucet summus amicus meus Gualterus Haddonus, huius Academiæ nunc Procancellarius, vt cum illis superioribus duobus comparandus, non in nostrum numerum aggregandus esse videatur. Quid omnes Oxonienses sequantur, planè nescio, sed ante aliquot menses in aula incidi in quendam illius Accademiæ, qui nimiū proferendo Lucianū, Plutarchum, & Herodianum, Senecam, A. Gellium, & Apuleium vtranque linguā in nimis senescetem & effætam ætatem compingere mihi videbatur. Nobilitas in Anglia nunquā magis erat literata.

Illustrissimus Rex noster Eduardus, ingenio, industria, constantia, eruditione, & suam ætatem & aliorum fidem longè superat: non enim aliorum sermone persuasus, sed ipse sæpenumero præsens (quod in suauissimam fœlicitatis meæ partem deputo) omnium uirtutum chorum in eius animum immigrasse perspexi.

Gallia non dubito agnoscet summam doctrinæ laudem in clarissimo duce Suffolchiensi, & reliquo illo nobilissimorum iuuenum comitatu, qui hactenus unà cum rege nostro in græcis literis & latinis educati, hac ipsa die, qua hæc ad te scribo, in Galliam profecti sunt.

Thomæ Mori filiabus innumeræ nunc honoratæ fœminæ in omni literarum genere præstant. inter quas tamen uniuersas ueluti sidus quoddam nō tam claritate generis quàm splendore uirtutis & literarum, sic eminet Illustrissima Domina mea, D. Elizabeta, Regis nostri soror, ut in tanta eius iustè commendandæ uarietate, labor mihi non quærendæ laudis, sed statuendi modi propositus esse uideatur.

Nihil tamen scribam cuius ipse præsens testis nō fuerim. me enim præceptore græcę latinæq; linguę duos annos usa est. Nunc uerò ego aulica turba liberatus, & cæteris: otij mei literarum suauitati, Regiæ Maiestatis beneficentia, satis honestam conditionem & locum in hac Academia habeo.

Fortunæ

Fortunæ naturæq; ornamenta in Illustrissimam Dominam meam collata, hæc ne an illa pluris æstimanda in comparatione ad iudicandum perquam sunt difficilia.

Aristotelica laus in eam tota transfusa est. Nam κάλλος in illa μέγεθος, σωφροσύνη, καὶ φιλοεργία, omnia summa.

Ex anno XVI nonnihil excessit. Tanta in hac ætate grauitas & celsitate comitas inaudita est, studium veræ religionis & optimarum literarum acerrimum. Ingenium sine muliebri mollitia, labor cum virili constantia, Memoria qua nihil vel citius percipit, vel diutius retinet.

Gallicè, Italicèq; æquè vt Anglicè loquitur: Latinè expeditè, propriè, consideratè. Græcè etiam mediocriter mecum frequenter libēterq; collocuta est.

Si quid græcè latinève scribat, manu eius nihil pulchrius. Musicæ vt peritissima, sic ea non admodum delectata: In quauis adhibenda mundicia φιλόκαλος μᾶλλον ἢ καλλωπιστής, aurum πρωβύλους καὶ κορύμβους sic semper aspernata vt non Phædram, sed Hippoliten omni vitæ ratione referre videatur.

Perlegit mecum integrum ferè Ciceronem, magnam partem Titi Liuij, ex his enim propemodum solis duobus authoribus latinam linguam hausit. Exordium diei semper nouo Testamento græco tribuit, deinde selectas Isocratis orationes, & Sophoclis tragœdias legebat.

F

Hinc namq; illius & linguam purisſima dictio-ne, mentem aptisſima præceptione, & reliquam e-ius vitæ conditionē ad omnem fortunæ vim rectè instruendam esse existimaui.

Ad religionis institutionem post fontes scriptu-rarum. D. Cyprianum, locos communes Melan-chtonis, & alios huius generis similimos ex quibus pura doctrina cum eleganti sermone libari potuerit, adiunxit. In omni oratione, si quod inuitum verbum aut curiosius accersitum fuerit, facile animaduertit. Ineptos illos Erasmi imitatores, qui Latinam linguā: in miseras prouerbiorum compedes illigant, ferre non potest: orationem ex re natam, proprietate ca-stam, perspicuitate illustrem, libenter probat.

Verecundas translationes & contrariorum colla-tiones aptè commissas & fœliciter confligentes vni-cè admiratur. quarum rerum diligenti animaduer-sione aures eius tritæ, adeò teretes factæ sunt, & iu-dicium tam intelligens, vt nihil in græca, latina, & anglica oratione, vel solutum & peruagatum, vel clausum & terminatum: vel numeris aut nimis effu-sum, aut ritè temperatū occurrat, quod non illa inter legendum ita religiose attendit, vt id statim vel ma-gno reijciat cū fastidio, vel summa excipiat cum volu-ptate. Nihil fingo mi STVRMI, nec opus est, sed adū-brare tantū volui tibi speciē eius excellentis ingenij & studij, in cuius rei veluti forma, dum mens mea

tota

tota defixa est: hanc illustrissimæ Dominæ meæ me-moriam, mihi quidē charisſimam ad te scribendo libenter suauiterque vsurpaui.

Ad hanc nobilisſimam principem, si tu aliquid scripseris STVRMI, illud & grato animo acceptu-ra, & magno iudicio perlectura est.

Sed vereor ne ipse iucunda vel recordatione illi-us vel scribendi ad te suauitate delectatus extra mo-dum epistolæ prolixitate prodierim, & de literarum apud nos ratione, plura alio tempore.

Rumor hic sparsus est te venturum in Angliam, siue hoc verum sit, siue totum ex eo ortum desiderio, quo plurimi te hic videndi tenentur, non intelligo. Mihi nihil frequentius in uotis. Interea dum ego aduentum tuum gratisſima spe expectem: desideri-um quæso meum absentis tui suauisſimis literis tu-is sic lenias, vt salaem intelligā te has meas recepisse.

Quanquam longo sermone literarum tuarum nihil optabilius mihi esse potest. Amorem meum quem tibi maximum absenti debeo, eum vniuersum interea ad præsentem Patrem Bucerum defero.

His literis inclusum dono mitto tibi argenteum nummum C. Cæsaris. Reliquis Cæsaribus additi sunt semper loquaciores tituli, quod sæpè animad-uerti in omnium ferè Cæsarum nummis, vsq; ad Gotticam illam barbariem.

Hic habet ex vna tantum parte Cæsaris nomen

inscriptum. His priscæ antiquitatis reliquijs, qui iam plurimum ipse capior, hunc nummum tibi mittere volui, plures deinceps missurus, si te hoc antiquæ & beneuolentiæ meæ, & temporum vetustatis monumento delectatum esse cognouero. Vale in Christo Iesu. Cantabrigiæ è Collegio D. Ioan. Euangelistæ. Quarto Aprilis Anno Domini M. D. L.

IOANNES STVRMIVS
ROGERO ASCHAMO.
S. P. D.

VIDE MI ASCHAME quid epistola tua effecerit. In libello meo quem de oratorum conuersionibus confeci, προσεφώνησα τῇ ἐλιζαβήτῃ τῇ ὑμετέρᾳ, vt quoniam oratorum artificiosissimam et preciosissimam telam potest retexere: iudicet etiam de hoc opusculo: quod leui & denso filo lucubratum est. opinor enim Penelopes Homericę telam rectè cũ poëtarum versibus, & oratorum comprehensionibus posse comparari: quorum vtráq; non solum componi debent, sed etiam dissolui atq; immutari & dissui, quotiens emendari posse videantur.

Ac certe in ætate iuuenili & sexu fœmineo, præsertim puellari, quę potest esse honestior occupatio? quæ exercitatio liberalior? quę consuetudo suauior?

quam

quam styli, & compositionis & orationis, puræ, ornatæ, perfectæ, consummatæ? ad quam enitimur atq; contendimus.

Quia vir literatus es & bonus & dignus glorioso illo cognomento, hoc est, quia Euangelicus: quæ omnia non apparent solum, sed elucent etiam in epistola tua, nihil puto affictum in tuis literis esse virtuti, & laudibus puellæ principis atq; regiæ stirpis.

Sed quid in nostris temporibus magis optabile accidere mortalibus potest, quàm ex principum virorum familijs, & ex nobilitate vtriusq; sexus, oriri ingenia: quibus literarum studia placeant: qui eas colant: qui condiscant: qui & earum & rerum & artium doctrinam consequantur.

Ergo beatiores hoc genere bonorum Angli quàm Germani, apud quos in nobilibus paucissimi sunt, qui ad suum ordinem literarum putent insignia pertinere: cum istic plerìq; omnes nobiles, vel enitantur vt literati sint: vel si serò id intellexerint, tamen ad se nunc spectare suósq; arbitrentur.

Quamobrem spes iam data est, quod laudem quam antea sibi arrogauit semper Italia: & pòst Italiæ, Gallia, atq; Germania æmulæ vindicare conatæ sunt: eam sibi deinceps Anglia cumulatissimè queat assumere: & quale domiciliũ quondam Athenis & Romæ, de quibus duabus ciuitatibus scribis

dicendi & sapiendi magistri habuerunt: tale iisdem nunc sit in Anglia constitutum: vt vester populus, quorum virtutes imitatur, eorum etiam compares decus & gloriam.

Sed vt ad te mi Aschame veniam, nescio tibi ne magis gratulari debeam cui Deus talem dederit discipulam, an Elizabetæ principi, cui talem magistrũ atq; artificem: certè vtriq; & gratulor & gaudeo: & fœlix illud biennium iudico, quo tu docuisti, & illa didicit: nunc etiam tibi ob istud otium tuum lætor, quod Eduardus rex tibi & concesit benignè & liberaliter est largitus.

Requirunt enim nostrorum studiorum rationes otia negotiosa, & negotia otiosa. nam in laboribus otiari & in otio laborare vulgo videmur.

Cæteri enim homines cum venantur, cum piscantur, cum fabricant, occupari creduntur laboribus: literati cùm legunt scribunt, commentantur, pro otiosis habentur: cùm tamen vitam ingenii laboribus anxiam atq; solicitam agitent: non periculorum metu, aut laborum vexationibus, sed susceptione atq; cogitatione rerum maximarum & immortalium.

Sed quia otium tibi summum datum est: eius etiam ad me fructus iucundissimus atq; vberrimus perueniet. promittis enim mihi in tua epistola multas & frequentes literas, quas auidissimè expecto: cum

cum propter amorem erga me tuum, quem ex literis tuis perspexi, tum præcipuè propter doctrinam & artes duas, in quibus ego annis iam multis etiam versor: vnam disserendi, alteram dicendi.

Vtriq; enim & dialectici & Rhetorici esse volumus: sed tu es: ego verò vt sim nitor & elaboro. Et profectò absq; eloquentiæ ope obscura & sordida est Dialecticorum professio: & hæc ipsa eloquentia absq; disserendi doctrina inflata tumet, & errabunda vagatur, nihilq; via & ratione, nihil artificiosè efficit.

Itaq; idem tuum & meum est iudicium, idem volumus, idem sequimur, idem consectamur, omnibus etiam idem studium suscipiendum est, qui in literis viuere & ex literis laudẽ assequi concupiscunt. Verum vt ad epistolam tuam reuertar: fuit illa mihi iucundissima, tum ob significationem tuæ erga me beneuolentiæ: tum quia multa nuntiat de regno vestro, quod semper nobilissimũ & munitissimum multis ætatibus habitum est: de rege de quo præclara & certa est prudentiæ, clementiæ, religionis spes concepta: de Gulielmo Pagetto, cuius ego probitatem, & moderationem consiliorum & humanitatẽ Caleti ante annos quinq; cognoui: de Checo et Smitho, qui nobis à multis sunt prædicati: de Ioanne Masono quem Montius noster magna beneuolentia complectitur, & laudat mihi sæpe numero, quo-

ties ego Pagetti memini: de Haddono procancellario vestro, quem tu cum superioribus componis: de nobilitate vestra, & de ijs qui in Galliam cum tribus vestris legatis profecti sunt: postremò de Domina Elizabeta, qui locus quò fuit prolixior quàm reliqui, eò ego longiora legendo requirebam.

Hæc inquàm omnia fuerunt iucundissima. verum vbi mihi tantum tribuis, quantum ego minimè possem agnoscere: ibi pudorem, vt Horatij vtar verbis, mihi incussisti: propterea quod præstare nō possum doctrinam & iudicium ita vt tu mihi asscripsisti.

Vbi verò petis, vt Phœdonem Platonis, vt Aristotelis libros de Anima, & vt eiusdem Rhetoricos libros latinè interpreter & explanem: item vt Demosthenis & Aeschinis aduersarias inter se orationes conuertam: vt promissos à me de Latinè loquendi & dicendi ratione libros diuulgem: non tam laborem fugio: qui suscipiendus esset: quàm in suscipiendo audaciam & diuulgando temeritatis atq; arrogantiæ suspicionem: quæ me superiore anno in gressum in hoc curriculum quasi reuocauit. statui enim Aristotelis Rhetoricos libros perpetuis explicare differentiū sermonibus, quorum partem aliquam librario dederam.

Sed mutaui sententiam, primùm propter eam quam proposui causam: deinde quia alia quædam intercedebant, quæ me ab instituto sunt dehortata.

Veruntamen cogito hac hyeme resumere eos, & perficere quod est inchoatum: si vitam Deus & potestatem concesserit.

Aeschinis & Demosthenis orationes meis interpretor auditoribus, sed ita vt magis in explicandis illis quàm conuertendis sim occupatus. satis enim mihi est, si sententiam explanem & verborum vim atq; potestatem: reliquum quod laboris est, id in arte demonstranda consumitur. vt inuentionem intelligant: vt diuisiones, & partitiones consyderent: vt collocationem, vt argumentandi modos, vt conclusionum formas: vt ornamenta sententiarum, vt quęstionum infinitarum exornationes: vt finitarum expeditiones: vt in vtrisq; amplificationes: vt in omnibus conuersionum genera: vt principiorum & mediorum & clausularum connexiones & numeros.

Duplici hoc meo hyemali labore contenti esse debetis: Et tu mi optatissime Aschame, qui petis: & Bucerus qui tibi cohortator fuisse videtur.

De Phædone & Aristotelis de anima libris aliàs, cùm erit otium si vita suppetat, & si potero.

Non enim si in Gorgia quædam obseruaui, quæ ad Dialecticorum pertineant officinam: idcirco etiā in Phœdone aliquid elaborare possum quod perpetuam orationem habeat, & quod literatorum hominum aures animosq; non offendat.

Neq; si Rhetorica intelligo & fortaßis prodere in lucem aliquo modo poßum: idcirco grauißimā illam disputationē de vita & de morte, de animorū immortalitate, de bonorum virorum vitali obitu, de clarißimorum hominum sempiternis præmijs, de æternitate rerum, potero disserendo atq; scribendo sustinere.

Quod tamen libros de latino sermone requiris: in eo me percelluisti. promisi enim eos ante annos aliquot: sed fateor planè etiamsi ingenio poßem, tamen non poßem facultatibus, vt ex me sæpè Bucerus audiuit.

Quantum enim est eiusmodi opus elucubrare, ex quo breui eam facultatem consequare post præceptionem perceptionem, vt quidcunq; cogitatione cōplectaris, id etiam oratione poßis latina exprimere, non solum vt pura ea sit, sed vt elegans: vt ornata: vt decora: et exempla in promptu habeas, quæ res quibus sint & verborum & sententiarum ornamētis expoliendæ: eaq; omnia non solum congesta, sed etiam distincta locis & disposita habeas.

Tale opus cùm cogitatione inchoatum, commentatione demonstratum atq; perceptum habeā, tamen facultatibus imperfectum cum alijs iacere patior, dum compeller: tametsi satis me gymnasium nostrum compellet: tamen quia compellat non cogit, satis me hominibus facturum puto, si in reliquis officijs non sim desidiosus.

Iam quod de Augustino scribis: laudo iudicium tuum & tuarum literarum in eo loco humanitate & amore delector.

Etiam ego sanè huic Theologo præ ceteris plurimum tribuo propter doctrinam: docet enim omnia: concludit acutè, refutat argutè: nihil nec in proponendo, nec diuidendo, nec argumentando, nec expediendo peccans.

Sed ego cum meos ad orationis cultum adhortor, non solum rerum consydero doctrinam, sed earum etiam ornatum atq; tractationem: vt illos dicendo superiores putem, sed Augustinum doctrina, veruntamen illos etiam eruditos & literatos: itaq; principio anteponendos.

Etenim diligenter etiam atq; etiam in sermone latino aut græco tradendo cauendum est, ne scriptores dicendo inferiores propter rerum tractationem Ciceroni & Demostheni cæterisq; melioribus scriptoribus anteponantur. omnibus enim scientiæ sapientiæq; nomen gratum & dulce est: res verò ipsa non solùm optata sed etiam salutaris.

Nam nec scribere quisquam aliquid potest, nec loqui aut dicere quod sit præclarum, qui artes & disciplinas, & qui rerum cognitionem nullam comparauit.

Ergo qui hoc iudicio præditus est, & hac inopi facultate nititur, cum nec in eloquentium, nec di-

sertorum, nec Latinorum, siue oratorum siue scriptorum, siue artificum numero habendum puto. et cuius inflata verbis tantummodo oratio est, non solum auctorem ineptum, sed etiam hominem stolidū existimo.

Quamobrem etiamsi summi viri, siue Longolius, siue Sadoletus, siue Bembus, siue Naugerius, siue alius quisquam vel Italus, vel Gallus, vel Germanus verba eorúmq; ornatum captauit, res neglexit, quod tamen hi minimè fecerunt, sed si quis esset: eum laudandum non censeo.

Nam quid ego de Budæo excellenti doctrina viro dicam? quem tametsi amemus atq; defendamus: & admiremur: vt etiam eos quos nominaui, tamen sunt nonnulli quibus ille in aliquibus libris magis uerborum quam rerum sectator esse uideatur, non igitur in optimis, sed in deterioribus siue scriptoribus, siue oratoribus ponendum puto, qui uerbis, nō rebus ornatum orationis constare credit.

Sed hoc in primis consyderandū est: omnibúsne temporibus quiduis legere liceat, an sit in temporibus, & ætatibus & facultatibus aliqua distinctio.

Homerum græci suis adolescentibus ediscendū proposuerunt. poterat illud fieri absque incommodo, propterea quod una cum materno quasi lacte imbibissent patrium pueri sermonem.

Romani grammatici etiam Vergilium suis Scho-

lis

lis explicabant: nihil periculi erat eandē ob causam. Iidem Romani de principio Homerum interpretabantur: nihil fuit incommodi in lingua aliena: latinè omnibus tum loquentibus Romæ ciuibus.

Et idē græci facere poterāt, si hic ijs placuisset sermo, Sed quas vtilitates ad linguę informationē atq; puritatem puer accipiet ex Catonis distichis, ex Aquinate, Gersone, Cocca? paucos nominaui, ex his quamplurimi possunt alij eiusdem gregis considerari & sunt alijs præstantiores, quos tamen legi nolim: non quod vituperem, sed quod ad id quod volumus non sint idonei.

Sed addamus etiam his barbaram turbam grammaticorum, Dialecticorum, Medicorum, Theologorum, Philosophorum: quibus sordida puris, vtilibus spinosa fuerunt potiora. quorum pars se adhuc magna tuetur in Sophistarum nostri seculi collegijs: quæ de sua adhuc barbarie tanquam de Palladio aliquo atrociter pugnat.

O gregem venustum: ô religiosam conspirationem, in qua vinci gloriosum est, turpissimum, vincere. quis status literarum, quis religionis esse possit in hac sermonis & linguę & orationis fæditate? quis enim non aspernetur in ijs, si videat, oris sonitum: verborum deformitatem, sententiarum sordes: opinionum ineptias: animorum pertinaciam: consuetudinem illiberalē: mores peregrinos? qui barbariē li-

bera

beralitati impoſuerunt: qui artes & diſciplinas corruperunt: qui hiſtorias fœdarunt: religionem & cœremonias non ſolum orationis putido genere: ſed etiam imperitis opinionibus, remotis ab omni conſenſu doctrinæ, & obſcurarunt. altercando, & defendendo inquinauerunt. Hinc proponendi pueris, & horum ſcriptis imbuendæ mentes adoleſcentum: vt pro puris fœda: pro latinis barbara: pro perſpicuis obſcura: pro compoſitis diſſoluta in ciuitatibus audiantur? Quod igitur iudicium facimus in malis, cur idem non retinebimus etiam in minus perfectis, minuſque conſummatis? At rerum ſtudium verborum ſemper præſtantius habitum eſt.

Eſt planè eloquentis officium rerum primum, poſt verborum curam ſuſcipere: Vitioſum enim eſt dicere, quod aut inane ſit, aut ſtultum: veruntamē quoniam ab oratore non modò ſapientia: verum etiam verborum ornatus requiritur: ſeparemus iſta duo, quæ natura cætero quin coniuncta hærent.

Sapientia iubet quærere quid dicas, vt verum, vt probabile, vt certum, vt acutum, vt diſciplinabile, vt concluſione perfectum. quid ornatus? vt ſignificans, vt ſonans, vt plenum, vt concinnum, vt ornatum, vt illuſtre.

Sed ſi ſapientia iubeat, vt ornatus rationem non habeam: puritate contentus ſim: reliquum ornatum non affectem: liberari me patiar magnis laboribus, ſummis curis, diuturnis vigilijs. Si verò etiam vt puritatem negligam, certè iſti ſapientiæ, quamuis prouida ſit, non obtemperabo.

Sed ſi reſpondeat, magnum eſſe, præditum eſſe doctrina: verum præclarum ad eandem, dicendi rationem & eloquentiam adiungere: & vtrunque ab optimis potius, quàm inferioris ordinis authoritatibus condiſcere: optimeque labores in conſummatiſsimis conſumi: tum ego ſapientiæ conſilium, tanquā oraculum diuinitus datum, ſequar.

Eos igitur ego authores pueris explicari principio volo: & eos in exercendi conſuetudine primos legi, qui ad doctrinam adiunxerunt eloquentiam: non qui doctrina contenti, eloquentiam vel contēpſerunt, vel ad eam non potuerunt aſpirare. Et quò magis propè aliquis ad perfectionem accedit, eò plus tempore ordineque antecedere placet, & in exemplis anteferri.

Hæc me cauſa mouit: quamobrem Auguſtino Chryſoſtomum antepoſui: non quod Auguſtinus non ſapientior, aut non diſertus, ſed quia minus diſertus quàm Chryſoſtomus: & is tamen eruditus atque doctus. Chryſoſtomo primum temporis & linguæ, non doctrinæ & ingenij locum tribui: cùm tamen huic ipſi Chryſoſtomo multos alios anteponā. in dicendi enim ſtudio non ſolùm barbaros vbique fugere, ſed ante bonos etiam meliores, ſemper oportet præcedere.

Sed

Sed fortaſsis parum candori tuo confidere videbor, qui hæc tā ſolicitè excuſem: Veruntamen quoniam magni referre puto, quo vnaquæq; ordine legantur, viſum fuit etiam hic meam tibi exponere ſententiam: à qua te etiam non arbitror eſſe alienum. Feci etiam eò libentius, quod tu dulce nomen pacis eſſe dicis in tuis literis, & rem ipſam ſalutarem.

Scio quo in loco Cicero idem dicit, & iiſdem verbis ſentit: cuius loci formam hic conatus ſum exprimere: vt tecum ludam ῥητορικῶς: Et niſi caueas, nō hinc procul ſumpto exemplo rurſum ludam: ſi prius de Domina Elizabeta, quod volo, & quemadmodum volo repetam.

Non enim obliuiſci poſſum, quod ad tantarū rerum, de quibus ſcribis, diſciplinam etiam dicendi artem coniungat, eámq; exercitationem colat, quæ cū maximè hunc ſexum deceat, tamen à pleriſq; omnibus aſpernata iacet.

Sed rectè ſecum cogitat. ſi enim corporis forma in virginibus puellis iucunda eſt, cur non orationis verecundæ, pudicæ puræ, pulchræ? deinde cæterę virginum exercitationes, nere texere, acupingere, communes ſunt nobilitatis & obſcuræ ſtirpis: ſæpèq; ignobiles mulieres nobilibus artificioſius laborare videmus: orationis autem elegantiam in nobilitatis velle domicilijs habitare & præclaris familijs: & vt veſtitu atq; ornamentis, ſic etiam ſermonis

ſuauitate nobiles ab oſcuris differre: præterea hæc ipſa quæ ſunt nobilium fœminarum, prætioſæ veſtes, gemmæ, annuli & ornatus reliquus, fortunæ eſſe tantum & in deterioribus naturis ſæpè affluere: at oris elegantiam, & vocis formam non poſſe ab animi pulchritudine ſegregari: atq; id ſignum eſſe excellentis ingenij nobiliſq; naturæ, ac diuitiarum inſignia & ornatus domi ſolùm illuſtria ſunt: vox verò artificioſa, poſteaquam ſemel audita eſt, ſæpè ad exteras gentes atq; nationes volitat, illiſq; eſt admirabilis. Quò magis ego Dominæ Elizabetæ induſtriam probo: quæ efficiet vt puellarum virginum & fœminarum nobilitas, non ſolùm generis antiquitate, ſed etiam doctrinæ & ſermonis elegantia ſit æſtimanda.

Ergo huic ego conuenienter libellum miſi. ineptum enim eſt, in diuulgandis libris eos appellare, qui ignari ſunt eorum quę traduntur, aut qui eadem non maximopere amant.

Et quoniam pro ſe liber loqui non poteſt: eſt enim indiſertus: tu ei deprecator ſis, quoties peccabit: & vbi non peccat, commendator: & in vtroq; patronus: præſertim apud Eduardum Regem, cui etiam exemplum mitto, vt tripartito defendatur patrocinio: primum tuo ad Dominam Elizabetam: deinde huius ad fratrem ſuum Eduardum regem: qui ſi ſua autoritate patronus ſummus eſſe velit: quis

meo libello beatior? Quantum ad me attinet, maximopere vellem Angliæ placere. Amo enim gentem hanc propter religionem. propter famam talis & tanti regis idq; in hac ætate.

ATQVE vtinam quam religionem rex primis annis didicit, & concilium eius concordibus sententijs constituit, eam possit & tueri & defendere, & stabilire, vt non oppugnetur. quanquam id ad Deum eiusq; prouidentiam & numen pertinet.

Sed id quidem reliquum est, vt quod institui absq; perturbatione aliqua non potuit, neq; sine metu periculorum retineri potest: id ecclesiasticarum pecuniarum dispensatione, & morum disciplina, & religionis doctrina, & iudiciorum sanctitate, & ordinum confirmatione atq; dignitate corrigatur atq; ornetur.

Sed minus iam timoris est, in hac concilij constantia: quod de religione decreuit: quod eam instituit: quod edictis stabiliuit.

Vt autem idem permaneat, dum regnum atq; religio requirit, & vt rex nulla frangatur temporum intemperie: id summis votis à Deo patre omnium mortalium & Christo omnium hominum seruatore precandum est.

In quo negotio, & qui in Consilio regio versantur, laudandi sunt: & rex arrigendus ad constantiam, altitudinemq; animi, vt neq; consilium sui decreti pœni-

pœniteat, neq; regem tædeat periculorum, quæ impendere videntur.

Tribuenda igitur non solum pietatis & religionis & literarum laus est ijs: qui authores fuerunt preclaræ emendationis: sed etiam fortitudinis, qui non extimuerunt ea pericula, quæ propter prudentiam ventura prouidebant: propter religionem contemnebant.

O sanctam curiam: quæ honestatem atq; religionem, vtilitatibus, & vitæ otio anteposuit. Nati in hoc homines videntur, vt Angliæ nomen renouent: vt in hoc regno angularis Ecclesiæ lapis locum suum rursus occupet, & refugium sit non solum nunc recipiendis atq; defendendis: sed breui etiam emittendis atq; ornandis angelis & nuncijs ocij, literarum, religionis, dignitatis in Rep. Christiana. in impietate enim status Rerumpub. instabilis, in religione firmus solet sperari.

Etenim nulla conuersio regnorum, nisi post religionis contemptum atq; fœdationē est metuenda. illorum igitur incerta Respub. est, qui in turpitudine vitæ, etiam religionis atq; doctrinæ puritatem & sanctimoniam formidant. Qui vero hæc suscipiunt, & colunt & defendunt hi cum nullo alio statu commutare Remp. possunt, nisi cum diuino & cælesti, in quo perpetua sit & sempiterna fælicitas.

Nam huius vitæ non solum reges & principes &

magiſtratus caduci & breuis æui ſunt, ipſę ſed etiam vrbes & reſpub. atq; regna breui momento & florentia claraq; & collapſa dirutaq; conſpiciantur.

Hæc æternitatis fœlicitas bonorum virorum, in omnibus ordinibus finis: in hac eorum præmia conſtituta ſunt: quæ niſi eſſent, quis ſapiens in maximis laboribus & ſummis periculis velit pro patria ſeſe deuouere & pro religione mortem oppetere?

Quamobrem ſapienter conſuluerunt prudentiſsimi viri: qui id, ſine quo Reſp. nulla ſtabilis eſſe poteſt, patriæ recuperarunt: & quod poſteris ſuis optare debuiſſent: id ipſi ſuo periculo ſuis conſtituerunt: & ſuam ipſi religionem atq; pietatem patriæ cum periculo præſtare maluerunt quàm eam poſteris abſq; periculo committere.

Hæc laus quouis triumpho præclarior eſt, quæ non cæde hoſtium comparata eſt, ſed pietate atq; religione nititur: quæ non hoſtium ſanguinem, ſed ciuium ſuorum ſanctimoniam requiſiuit: quæ non nouas res affectauit ſed amiſſas reſtituit.

Poſtquam enim decretum de religione fuit: pax cum Galliarum regno conſtituta eſt, morum & vitæ leges promulgatæ ſunt: emendata literatorum hominum gymnaſia: apparuit rurſus veritatis lux & Euangelij lumen, Itaq; de his bonorum virorum ſermones nuſquàm ſilebunt, dum homines erunt quibus chara religio eſt, & iucunda fortium virorum memoria. Quan-

Quanquam huius facinoris vel potius ſapientiæ laus, etiam multo maxima ex parte ad ſereniſsimum regem Eduardū pertinet. in quo niſi ſenatus animaduertiſſet ſimul cum ætate & prudentiam eius ali, & grauitatem creſcere, & religionis cupiditatem ſtudiumq; confirmari, idemq; appetiuiſſe & poſtulaſſe, maiore cum periculo ſuſcepiſſet id, quod inſtituit atq; decreuit.


Quocirca omnibus regni ordinibus gratulandū eſt, Regi, quod id, quod voluit, conſentientibus omnium in conſilio ſentẽtijs obtinuit. Cõſilio, quod rex idem voluit, & quod intelligit, nihil poſſe conſtitui ſanctius: populo, quod quoniam Regis atque Senatus autoritas intereeſſit, non populari motu, ſed Reip. voce actum videatur, ſiquidem pars populi melior exoptauit: omnibus ordinibus, quod in hac coniunctione animorum diſsidia non ſint extimeſcenda, ſed pax atq; concordia refloreſcat: religio vero recolatur: Euangelij vox ſalutariter reſonet: & Chriſti imperium in regno Angliæ autoritatem ſummā habeat.

Hæc commoditas, imò hæc regni gloria tollere ex animis omnium metum debet, & Regem erigere ad amplificandam hanc gloriam: & ſenatum cohortari ad fortitudinem: & populum ad charitatem & obſeruantiam excitare: vt & Regis auctoritas, & Senatus conſilium, & populi placitum quaſi propu-

gnaculum existat contra dolum, & insidias, & vim communis Dei hostis, à quo vinci non possumus, dum præstamus constantiam. nam si moriendum erit, vita mortalis cum immortali mutabitur: si viuemus, quid præclarius, quam in hac vita propter religionem, cælestem vitam repræsentare.

LONGIVS euectus Aschamesum, quàm volebam: excitatus epistola tua: in qua iucundius mihi fuit Regis atque sororis laudes cognoscere, tametsi eas antea à multis audiueram, quàm accipere C. Cæsarem: quem antehac non ita in nummis videram.

Sed tamen gratum munus, & quia à te missum est, & quia vetustum, & quia eius imago, qui cum fortißimis & peritißimis, & fortunatißimis Imperatoribus belli gloria potest comparari. Vale Argentorati. Nonis Septemb. Anno. M. D. L.



PAVLVS IIII. PONTIFEX MAXIMVS IOANNI GROPPERO Cardinali designato Salutem & Apostolicam benedictionem.

QVod tum ad te scribere non placuit, cùm tibi cooptato in Collegium Cardinaliũ, illius dignitatis insignia mitteremus: id visum est hoc tempore exponere: nolebamus enim tum simul tibi & beneficio lætitiam parere: & monendo molesti esse. Nunc veró id tempestiuè fieri posse videtur, posteaquam tibi nostra erga te beneuolentia & beneficentia perspecta est: vt & quæ nostra voluntas & petitio, consiliumqúe sit intelligas: & tu habeas deinceps, quæ te cauere & quæ sequi velimus.

Fuit aliquando tempus quo Pontifici Paulo tertio & Cardinalium Collegio suspectus esse cœperis, tum cùm Romam renunciatum fuit Anno, vt opinor 1536. te de emendatione Ecclesiæ scribere, quod nostris legibus & institutis, nostræque existimationi & Senatus Romani dignitati aduersarium esset. Et quoniam tum antea diu de Hermanno à Vveda Episcopo audiueramus, quid cum Richardo Grifenclauio Episcopo Treuirensi moliretur aduersus authoritatem Ecclesiæ Romanæ, metuebamus posse fieri, vt is tibi huius operis confectionem locasset: & quod faceres illius te causa facere. Sed posteaquam in lucem exijt hoc opus, valde gauisi sumus, famam illam falsam, & mendaces suspitiones fuisse. Nihil enim in illo fuit quod nobis esset contrarium, aut non consentaneum Pigianis sit demonstrationibus, eáque de causa eò magis lætabamur, quo tu plus apud tuos, quàm ille apud suos authoritate valeres, præsertim in tot talibusqúe Canonicorum.

rum Collegijs. Itaque pro dolore in nobis & metu, gaudium atque spes successit, propter hanc tuam egregiam & singularem voluntatem atque industriam: vnum nobis tum solum molestum fuit, quod de morbo tuo cognoueramus, cum propter ipsam ægritudinem, tum ne inimici tui hanc causam arriperent calumniandi.

Subsecutum est post hoc tempus alterum, & quidē molestius quàm prius. non solùm fama & literis & nuncijs, verum etiam suspicionibus, argumentis, indicijs & testibus, vsque adeò vt quoniam nostram abs te dignitatē nomenquè Pontificium oppugnari audiebamus, constitutū à nobis fuerit pro nostra authoritate atq; officio proscribere te, mandataquè ea de re ad omnes ordines nostros in Germaniam mittere. Nunciatum enim ad nos, & tum scriptū sæpe fuit, te ab illis qui Lutherani nominis essent Hæretici inprimis verò à Martino Bucero in Hæreticorū partes pertractum esse, & comprobatorem anno quadragesimo fuisse colloquij Vuormaciensis. Confirmauit de hac re & de te nostram opinionem legatus noster Scotus Cœcus, idemquè de te Paulus Vergerius quem eodem miseramus, videbatur asserere.

Deinde etiam si absque his fuisset, tamen annus quadragesimus primus, non modo mouere hanc suspicionem nobis potuit, verum etiam si quid antea dubitatum fuisset, id totum refutare atque diluere: Nam vt colloquij Vuormaciensis fuisti comprobator: sic Ratisponensis author. Credo equidem nunc, te id impulsore Bucero fecisse, sed quid ille apud Colonienses, hoc est tuos absque te? Neque occulta fuit hæc inter te & Bucerum consiliorum communicatio, sed ita manifesta atque perspicua, vt etiam Collegæ tui sibi a te, metuere inceperint, & ea de re ad nos scripserint, quibus etiam temporibus tuæ ad nos literæ fuerunt frigidiores atque languidiores, quæ in Cardinalium consilio recitabantur,

Istud

Istud eò ad te scribimus, vt scias nihil tam posse clam institui ne dum agi, quod ad nos non deferatur: & quod nos pro tempore dissimulare non possimus. nam cui tu tum plurimum metuebas, quemadmodum certè tribuendū fuit propter eam quam Romanæ Ecclesiæ semper præstitit fidē atque obseruantiam, Eberardus Pillichius Suffraganeus, vt opinamur nunc vester factus, tum ad cōsilium nostrum scripsit, se à te vehementer appellari, vt tuæ sententiæ subscriberet, & quoniam id facere recusauit, magnum inter te & illum fuisse dissidium: eamquè offensionem in illis comitiis multos offendisse: qui vestriquè & Romanæ Ecclesiæ proceres studiosi erant, quod eorum, quorum vna erat legatio, non esset eadem in re tanta sententia.

Et sperabamus quidem per Pillichium te reuocari à consilio malo posse, sed illud tempus quod post conuentum Ratisponensem insecutum est, penè effecit, vt desperaremus, te posse ab huiusmodi instituto depelli. Elaborasti enim atque effecisti, vt Hermannus Episcopus Bucerum ad se vocarit, illiquè potestatem fecerit Ecclesiæ emendandæ, si id emendare est, omnes Ecclesiæ cæremonias, omnem omnium ordinum authoritatem labe factare atque conuellere, & quæ diuturno consensu & vsu confirmata sunt ab omnibus Romanæ Ecclesiæ gentibus atque rationibus, ea subito & temerario consilio atque libidine refringere. Neque id credidissemus: nisi ea de re tuarum literarum exemplum ad Hermannū Episcopum ad nos missum esset.

Quid enim aliud illa reformatio, sic enim appellatis in se habet, quàm vt ne sit in nouis illis Ecclesiis totum illud quod in Romana Ecclesia est cæremoniarum.

Vides igitur duo tempora quibus Collegium nostrum vehementer offensum fuit. nam tametsi prima illa tua REFORMATIO nihil nobis aduersarium habeat, tamen

I

cuiusmodi illud exemplum est? priuatim hominem vnũ præscribere quod in omnibus sit faciendum Ecclesijs? Si id tibi tum licuit, cur non omnibus idem deinceps liceat? & si omnibus: quid obstat, quo minus tota Ecclesiæ Romanę autoritas Pontificiumque nomen labefactetur? Tu ne putas, si hęc ratio bona esset, non esse Romę & in Italia, qui idem queat facere, aut non putas causam esse, quamobrem id fieri nolimus? Nos qui temporibus, & vsu rerum longo atque vario eruditi sumus, videmus hanc scribendi licentiam, viam patefacere, ad contemptionem consiliorum Pontificum, Romanæque Ecclesiæ.

Omnino igitur nos in ea sumus sententia, hãc scribẽdi rationem, & hunc morem emendãdarum Ecclesiarũ nostro ordini nostræq; autoritati atq; dignitati non conducere, & ne tibi quidem tum profuit. Quid enim es aliud consecut⁹, nisi quod vulgus hominũ, imò pleriq; omnes homines opinantur, eó te istud instituisse, vt te in hac curatione Episcopus ille quasi principe & Duce vteretur, & inde tu quæstum faceres, & tuam authoritatem in istis partibus confirmares? Et posteaquam id assecutus non es, & Episcopus Bucero vteretur, & tu vilescere inciperes, vertisse te vela in contrarias partes.

Hæc sanè hominum de te est existimatio, & hunc fructũ accepisti illius instituti, atq; idẽ in senatu Romano à multis dictitatum erat, & si aliquorum sententia valuisset, nõ tibi reditus erat, neq; receptus ad nostram gratiam.

Sed ego tum vnus ex illis fui, qui te & reuocandum & retinendum putauimus, de eaq; causa & per literas & per alios à nostro consilio perfectum est, quemadmodum nosti, vt is rursus esses apud nos, qui antea fueras, & vt Bucerus apud te paruo tempore Coloniæ hospes fuit, ita tu perpetuus esses deinceps noster necessarius.

Non hoc exprobrãdi causa scribo: sed vt videas, nos ea omnia tum sciuisse, neq; nos nostri pœnitere consilij. Palàm enim illorũ conatus oppugnasti REFORMATIONI illorum obstitisti, multos ab aduersaria factione, ad nostras partes reuocasti, effecisti vt Hermannus Episcop⁹ ab Ecclesiastico ordine desereretur, & in huius locũ alius sit substitutus.

Quod hæc verè & ex animo scribamus indicio est Cardinalitius honos, qui tibi tributus est. Fuit enim æquũ, vt à quo maximum beneficium accepimus, eidem summam referremus gratiam.

Scimus enim quam illud tibi difficilè fuerit & arduũ efficere: offendebantur enim hac actione omnes ordines, & nobilium in primis, qui ne tum quidẽ, posteaquam ab ecclesiastico ordine abrogatus illi episcopatus esset, illum deserere absque illius consensu, & voluntate bona volebant. Taceo hominum de te voces atq; sermones, vt ne quid de ignominijs dicam.

Omnia hæc præclara & ardua, sed tamen, neq; illi Episcopo abrogare eam dignitatem necesse erat, & in illius locum subrogare alterum, nisi à te peccatum fuisset, & nisi Hermannum in eum locum præcipitasses, è quo non potuit postea euadere.

Hæc, vt suprà posui, monendi tui non obiurgandi causa scribo, vt deinceps caueas, neq; te hominum minis aut infamiæ metu ab instituto auocari sinas. nulla enim infamiæ nota est, quam Romanæ Ecclesiæ necessaria tempora non abluant, & pileus quidem Cardinalitius eo splẽdore est, vt omnes omnium calumnias obscuret, & nostra adhuc tanta apud mortales autoritas, vt omnium sententias, iudicia, vituperationes, condemnationes contemnat & superet: nec improbum aut impium est, quod Romanæ Ecclesiæ salutare & necessarium.

Itaq; tu nobis necessarius es, & nos tibi honorifici esse debemus, & Cardinalitia te dignitate, & illius muneris præmijs te quoq; frui volumus, eaq; de re ad Archiepiscopum vestrum scribemus, vt quantas facultates hic honos annuas requirat, eas tibi ex sacerdotiorum vectigalibus & sacerdotiorum copia suppeditari patiatur.

Vnum à te requirimus atque postulamus, vt quoties opus sit, patiaris te à nobis moneri: quod tametsi post tempus aliquando fiet, ostendet tamen quid ante tẽpus, sæpe vitari possit, aut quid emendari in eo quod antea peccatũ est debeat. Vt de hoc tuo postremo volumine, quod de re sacramẽtaria scripsisti, quid opus erat germanicè scribere? & hominẽ Vuesphalum, Susatensem, Sueuicum & Bauaricum sonare? quid opus erat tam facere opus prolixum? quid absque nostro & consilij nostri consensu? nónne cõmunicatũ nobiscum oportuit? Et nos literas didicimus: & nos manum ferulæ subduximus, & scimus quàm multa in illo opere sint, partim læuia partim contraria, partim nõ vera. An in nostro consilio aut in Italia scriptores mihi deesse putas? annon habere me existimas, qui & disputare & scribere queant? quam tu esse aliam causam putas silentij, quàm quod multa excusare & defendere, non possumus? illa inquàm ipsa quæ tu & Pigius cæteriqúe malè defenditis? Deinde tẽpora multa abolent, quæ libris nullis dilui possunt. Postremò vides etiã tu aduersarios nostros multas cæremonias reuocare, quas antea quasi in exilium eiecerãt, quosdam etiã docere aliter quàm docuerũt antea, neque principio Ecclesia Romana tantum incremẽti accepit: quantum illorum recipit varietatis, & magis ipsi inter se pugnare incipiunt, quàm nobiscum pergant bella gerere, vsque adeo vt imprudentes ad eum locum contendere videantur, vnde nos conantur eijcere.

Sed si huiusmodi scripta prodeant alia cuiusmodi tuum istud est, metuendum est maximopere, ne se coniungant rursus, & nostram causam oppugnare pergant, & suam controuersiam incipiant componere.

Hac ex re quantum inde incommodi oriri queat, potes per te ipse existimare. vides quasim ipse ætate, potes etiam cogitare quibus interfuerim actionibus, audiui multa de multis non hominibus solùm, sed etiam regionibus, non Europæ solum, sed etiam Asiæ & Africæ: aures plenæ sunt calumniis nostrorum aduersariorum, & legati nostri sentiunt, plus apud omnes gentes inimicorum nostrorum causam posse quàm Ecclesiæ Romanæ nomen atque authoritatem.

Debebas etiam per te ipse cogitare, quam tu sis in his controuersiis non idoneus disceptator. Scis quæ sint de te hominum sententiæ, cuiusmodi aduersus te voluntates, & qualia studia.

Etsi enim nos conscij tuorum consiliorum simus & sciamus, quo stuio quantoqúe iudicio ista facias, tamen existimare potes, non idem omnes & sentire de te & loqui quod nos, & quo tu liberius scribis, eò aduersum te plures exorituros, qui tibi resistant, & ex tua vita & moribus scriptisque, nostram vitam, & mores, & doctrinam sint æstimaturi. Vt enim voluntas, ita oratio hominis in omnem partem flexibilis est, vt & libri sunt, ita hominum existunt voluntates. Vna enim mala defensio sæpè efficit, vt ex amicis inimicos habeamus. Et si tempora respicias, periculosior nostra nunc est conditio, quàm superioribus fuerit temporibus. Vum enim vulgus hominum habuimus aduersarium, ex principibus plures defensores & amicos, quàm oppugnatores & inimicos sensimus. Nunc deinceps viri principes multi demortui sunt, & in eorum locum alij successerunt atque succedunt, quorum pars iam ea religione amplectitur nostras cæremonias qua velimus: pars etiam de aduersariorum castris cogitat. Et tu qui Iureconsultus es, miror te non videre, quod priuatim in singulis ciuitatibus vtile est, id in vniuersa ciuitate, hoc est Romana Ecclesia non esse vtile. Si enim pestiferæ sunt ciuium inter se disceptationes de religione, vna in vrbe, cur non aduersarij libri noxij in tota Ecclesia? Et plebeios quidem homines multos vides pœnas dedisse, apud prudentiores principes atque Respublicas, in magnis tamen viris aut dissimulatum est, aut actum leuius.

Tu vero in tuo volumine Sacramentario, quid opus e-erat Melanchtonem irritare, adhuc viuum, quid mortuũ Bucerum, quid Sleidanũ, quos nostri legati atq; amici in comitijs etiam solent appellare & amplecti humaniter. Bellaius Cardinalis, cum primum illum locum de Sleidano vidit, mirabatur te hominem Vuesphalum de Eiflio ita scribere, & te vicinum non scire, cuiusmodi testimonium illi dare debeat, si cogatur, patriaq́ue & patriæ magistratus, cuius liberos educauit, deinde tot viri docti, quibus familiaris & amicus fuit. Ipse etiam Cardinalis Bellaius Decanus Romanus, putat mortuo abs te fieri iniuriam, & aliter de illo atque tu existimat.

Vereor ne hui⁹ mortui memoria contra te plures sit cõcitatura scriptores. Metuendos semper istos Archilochos & non lacessendos existimauimus, atque hæc causa fuit, quamobrem nec Bembus nec Contarenus contra illos qui Lutherani nominis essent scripserint, & Sadoletus vides quàm fuerit moderatus. Nullum conuitium tantum & tale in vllum conijci potest, quod non retorqueri in nos queat, aut non possit cum aliquo simili commutari, vt ea verba quibus tu Sleidanum notas, scis tibi quoque obiecta esse, & ab omnibus credi qui nobis sunt aduersarij.

Equidem sic sentio ab hoc scribendi genere tibi abstinendum esse, & satis magnum habes Theologiæ præmium, cum sc. honorem quo te affecimus & in Cardinalium Collegium cooptauimus.

Malo Bartholo te & Baldo similem videri, quàm Pigio cupere æquiparari. & Iureconsultorum potius quàm Theologorum armis dimicare. Ego quos amo, & ad gratiam meam aditum habere volo, eos soleo hac ratione instituere, atque id tibi documento sit meæ erga te voluntatis, quod liberè & apertè scripsi: idque & tuo commodo, & item nostro, vt scires quid te potissimum facere velimus, vt magis occupatus sis in principibus Germaniæ nobis conciliandis, ijs qui Romanæ Ecclesię studiosi & cupidi

di

di sunt, quàm in his scriptoribus exacerbandis, qui exacerbari non possunt, vt non nos tecum plus patiamur, quàm illis queat noceri.

De Cæsare quod scribis verum est, æquum est idem vos facere & Catholicos principes quod ego facio. Videtis quibus vtar auxilijs: is poterit si quisquam poterit.

Vide quantum valeas in colligendis mihi hominum gratijs: & ea vtere ratione, & illis internuncijs de quibus proxima tua epistola, quæ in Consilio lecta fuit.

Scriberem de hac ratione ad te plura, nisi vererer posse has literas intercipi, & prius in aliorum quorum nolimus quàm in tuas manus incidere. Vale Datum Romæ ex arce Capitolina, sub annulo piscatoris: Calendis Decembris. Anno 1556.

RIDENTEM DICERE VERVM QVID VETAT?

FINIS.

